Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Magister · scimus quia uerax es · & uiam dei in ueritate doces · &
non est tibi cura de aliquo · Non enim respicis personam hominum ·
Dic ergo nobis · quid tibi uidetur · Licet censum dare cesari · an non ·
& cetera usq; ad illud ubi ait · & audientes turbe mirabantur
in doctrina eius · hec duo dnica responsa · unum de nummo
propter tributum reddendum cesari · alterum de resurrectione
propter illam mulierem · que vii · fratrum sibimet succedentium fratrum
nupserat · marcus & lucas simiter narrant · nec in ordine aliquid
discrepant · Post parabolam quippe illam de conductoribus uinee ·
& de iudeis in quos dicta est insidias preparantibus que omnes tres
commemorauerunt · pretermittunt hi duo marcus & lucas parabolam
de mutatis ad nupcias · quam solus matheus interposuit · &
cum illo iam sequuntur narrantes hec duo · de tributo cesaris ·
& de muliere · vii · singillatim utroque · eodem per suo ordine sine
aliqua repugnantie questione · Sequitur & matheus & dicit ·
Pharisei autem audientes quod silentium imposuisset sa-
ducei · conuenerunt in unum · & interrogauit eum unus ex eis
legis doctor · tentans eum · Magister · quod est mandatum mag-
num in lege · Ait illi ihe · Diliges dnm dm tuum in toto corde
tuo · & in tota anima tua · & in tota mente tua · hoc est maximum
& primum mandatum · Secdm autem simile est huic · Diliges proxi-
mum tuum sicut te ipsum · In his duobus mandatis uniuersa lex
pendet & prophete · Hoc & marcus commemorat · eundem ordinem
seruans · Hec monetur quod matheus dicit temptantem fuisse illum
a quo dnus interrogatus est · marcus autem hoc tacet · & in fine
ita concludit · quod ei dnus sapienter respondenti dixerit ·
non es longe a regno dei · Fieri enim potest ut quamuis
temptans accesserit · dnm tamen responsione correctus sit · aut
certe ipsam temptationem non accipiamus malam · tanquam deci-